



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

9. Cur aliæ volentes nubere, nubere à Deo non sinantur?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

qui multas alias impulit, vt, nobilissimis nuptijs contemptis, multò nobiliorem virginitatis statum, vel apud parentes & cognatos domi, vel in cœnobijs amplecterentur.

Alij ergò sunt, qui noctes dièsque de nuptijs, & sponsis, & matrimonijs cogitant; & aliæ, quæ nihil nisi maritos, & maritorum opera loquuntur; & tamen ob vnicam rugam, aut verrucam spretæ, coguntur perpetuò vitam ducere continentem. Itaque inuitæ fiunt Vestales, ignem æternum alentes. Quid ergò? num Deum arguent crudelitatis? nequaquam. Olim summi hoc ipsum tormentum suum beneficij loco habebunt, Deoque gratias dicent. Nam si illi vxores duxissent, si istæ maritis nupsissent, in quæ non mala incidissent? quas non Clytæmnestras? quos non Egeythos habuissent? quæ non adulteria, homicidia, sacrilegia perpetraruissent? ad quæ venena, ad quas non fraudes, se, coniugem, & liberos pepulissent; iam his omnibus liberantur, & Deo vacant, æternas cum Agno nuptias celebraturæ.

Quidam religiosi esse desiderant, sed viam non habent, nec aditum reperiunt, vt Mundum relinquunt. Cur? quia religiosi fortasse essent onerosi, religioni dedecori; in Mundo vero, cū religiosorum instar viuunt, omnibus fiunt in exemplum; & quod alij non ausi fuissent dicere, pro Ecclesia, pro Fide, pro Deo, in cœcilijs non verentur vltro mouere; quæ alij pro iustitia, nunquam ausi fuissent facere, in Rebus publicis, animosè, feliciterque aggrediuntur. Sic Religionem malo liberant, & statū secularem bono augent.

Sunt qui cuperent extra Religionem, in aulâ, in militia, in Repub. vitam traducere; sed coguntur quodammodo, vel paupertate, vel amicorum imperio & autoritate, vel alio euentu Mundum deserere, & in religionem intrare. Cur? Dæmones fuissent, si in Mundo mansissent. Vel sic vix domantur, dum coarctantur. Quid fecissent, sine fratre, qui sic viuunt in capistro? Videbis multos alioqui bonos viros ambire officium splendidum, procari dignitatem excelsam, nec tamen consequi. Cur? in alto superbirent; ex alto altius caderent; in humili loco humiles manent, vt in cœlo exaltentur. Enimuerò qui priuati miracula faciunt; elati tota regna prodidissent. Alius, qui eandem dignitatem vt anguem horret, qui vt hydram fugit, qui totis viribus detrectat, vi eò rapitur, vt in magistratu vir esse ostendatur, vt talentum suum non sepeliat, vt restauret, quod ambitiosi perdiderunt,

Quin.

IX.

X.

XI.